

DISSE

DE
IVRE PRAECEDEDENDI
EX IVRE GENTIVM

QVAM

SVB DIVINIS AVSPICIIS

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM

ORDINE

P R A E S I D E

IOANNE NICOLAO MOECKERT

PHILOSOPHIAE MAGISTRO

ET SOCIETAT. LAT. IENENS. COLLEGA

D. XXVIII. DECEMB. CICICCLVIII.

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

S V B I I C I T

BOTHO CHRISTOPHORVS
DE DEWITZ

E Q V E S MEGAPOLITANVS.

IENAE
LITTERIS SCHILLIANIS.

1758, 10^b LIII.

* 15

LIBRARY

DE

IURE PRACTICIS
EX IURE CIVITATIS

MAV

SAN DOMEINUS AVARICIA

CIVILIS INSTITUTUS AMBIVIT PRACTICIS

ORDINIS

INSTITUTUS

DOMINI RALPHI MONGOLI

THESES THESES MONGOLI

ORDINIS INSTITUTUS TAT. PRACTICIS CIVITATIS

INSTITUTUS TAT. PRACTICIS CIVITATIS

PARVUS ET VULGARIS PRACTICIS CIVITATIS

INSTITUTUS

OPTO CHRISTOPHORAE

ET DANTIS

INSTITUTUS TAT. PRACTICIS CIVITATIS

INSTITUTUS

PRACTICIS CIVITATIS

V I R O
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
STEPHANO WERNERO
DE DEWITZ

DYNASTAE IN COELPIN REL.
SERENISSIMI DVCIS MEGAPOLITANI A CONSILIIS
LEGATIONIS ET SYNEDRII INTIMIS

F R A T R I
OMNI PIETATIS CVLTV COLEND.

VIR

PERILLVSTRIS AC EXCELLENTISSIME,
FRATER PIE COLENDE.



i magnitudinem mecum TVI erga me amoris et benevolentiae animo voluto; si desiderium ac ardorem intueor, quo flagras, mibi incutiendi gloriose virtutis pre-

pretium; si menti studium subiicio inflammatum,
quo ferris ad id, ut, optimis artibus doctrinis-
que ornatus, TE fierem dignus frater: amorem
fratris benignissimi excedere, et ipsius PATRIS
beati propensionem ardentissimam, si non superare,
certe aquare mibi videris. Noli igitur mirari,
si hanc erubesco TIBI hanc dissertationem eeu le-
uissimum mei animi consecrare gratissimi documen-
tum. Non equidem ignarus sum, eam TVO in-
genio acutissimo et eruditioni eximiae longe esse
imparem, at eo consilio non TIBI sacram esse
iussi, vt aliquid TE dignum TIBI offerrem,
sed vt pietatem pectore reconditam publice reclu-
derem, ac, TE sequutus, in posterum grauiora
molitus viderer. Summum vt Dei Numen TE,

sum-

summum iusti aequique sacerdotem, patriæ dulcissi-
mæ perpetuum amatorem, et fratrem suavissimum
usque ad scribimus annos seruet incolamen, ita,
ut omnium negotiorum **TUO RVM** clementum sem-
per experiaris secundum, ardenter opto votis
tumulati.

NOMINI TUO PER ILLVSTRI ad
monachum in illibet oratione suam te, monachum
in OUT uno anni anniversarij natus te
esse regale animo tuo locutus te diligenter circa
te, ut tu non emeris ne in exercitu
ne, ne in exercitu anniversarii te
impedit, ne in exercitu anniversarii te
impedit.

obligissimus frater
BOTHO CHRISTOPH. de DEWITZ.



DISSERTATIO
DE
IVRE PRAECEDEDENDI EX IVRE
GENTIVM.

§. I.



Nulla res, nulla fere causa inter mortales magis perpetuos conatus aliis irascendi, tumultus et lites alit, quam cupiditas et desiderium inexhaustum ac plerumque insanum alios praecedendi. Neminem nostrum, qui in homines aeque insimae conditionis ac illustris intendit considerationem, praeterit illa infinita aviditas gloriae. Superuacaneum aggrederer opus, exemplis confirmaturas dicta, cum iam dudum viri de eruditione vera optime promeriti hanc vanam perstrinxerunt cupiditatem. Ex quibus nominare sufficiat CASPAR. HENRIC. HORNIUM a), qui sententius ICtorum in causis priuatorum mea asserta comprobavit, et FRID. BENED. CARPOZOVUM b), qui iustissimis et facetis deludificat modis praeceundi non minus in ruguriis quam aulis feruorem. Hic enim hac de re ita : „Arguenda simul est totarum gentium vanitas, qua de antiquitate generis et gloria principatus decertant, ac olim non solum Arcades c) astris Lunaque priores haberi volebant, et, inter Aegyptios atque Scythas lepidam, de uestustate originis,

A

,,con-



„contentionem intercessisse, IVSTINVS memorat, sed nostra
„aetate quoque talis aemulatio subiit Ducatus Parmae et
„Placentiae, cui ipse Princeps Octavius Farneſius, cedere
„et, vt libera ipſis effet interpretatio, quis primo, quis se-
„cundo loco poneretur? nomen suum ſcribendo ſe Ducem
„P. et P. vocare coactus eft. Quanquam vero in hac quaef-
„tione multa ridicula et merito reprehendenda inueniuntur,
ius tamen inter gentes praecedendi non nudum eft no-
men, aut inanem pre ſe fert ſpeciem, ſed effectus inſignes
multos et producit grauiſſimos. Quis neſcit, LVDOVI-
CVM XIV. Regem Galliae olim Hispanis nouum bellum id-
que atrocifimum ideo minatum eſſe, quod legatus Hispani-
nus impedita rheda legati Gallici praeciferit? Ex quibus
conſtat, ius praecedendi inter gentes in eximia inſignia cu-
iudam regni referendum eſſe. At eo diſſicilius eft expo-
nere, vnde hoc ius cuidam genti adſcribi queat. Alii gen-
ti hoc ius ex antiquitate, longaeuo viſu et praescriptione de-
ducunt, alii in contrariam abeunt ſententiam. Non omne
operae preium, perditurus videor, ſi in hac quaefitione di-
rimenda vires, eſti imbecilles, pericliter meas.

a) in diſſert. ex iuriſ argumento proedriae Vitebergae 1696. et 1709.
habitatis.

b) in oratione auspicali de eo, quod in iure proedriae ridiculum eft. Vi-
tebergae 1742. pag. 52.

c) STATIVS Thebaid. lib. IV. v. 275. OVIDIUS Faſtor. lib. I. v. 569. seq.
II. 289. seq. Profeleni; ſeu Antelunares inde dicti ſunt CICERO NI
in Fragm. Orat. pro Fundan. CENSORINVS de die natali,

§. II.

Numero eorum, qui contendunt gentem quandam lon-
gaeuo viſu et praescriptione ius praecedendi alias liberas
gentes acquirere poſſe, adſcribendus eft IACOB. GOTHO-
FREDVS d), cuius verba haec ſunt: Conſuetudo non mi-
nus, quam lex, vt inter priuatos, (ſiuē ii membra loci ſeu
regni vnius ſint, ſiuē diuersorum), ita inter principes et res-
publicas quoque eadem conſuetudo, antiquitas, viſus, obſer-
vantia

vantia, patientia, possessio vel quasi, actus possessorii, praescriptio iustissimus titulus sunt et praesidium ad praecedentiam: iureque constituti loco habenda sunt, omni ratione sufficit, sic esse consuetum fieri. Ad huius sententiam accedit ille celeberrimus I^Cetus HENRIC. DE COCCEIVS ^{e)}, et THOM. BALTHASAR. IESSEN, ^{f)} qui pede preffo illum sequitur, et ita: ratio, inquit, inter supraem capita est praescriptio, pro regula quippe positum est a Doctoribus, quod in iure tuendus sit is, cui fessio, ex qua controuersia oritur, vnu longaeno et obseruaria competit. Praeter hos et ille praestantissimus CHRISTIAN. GOTHOFR. HOFFMANNVS, ^{g)} ius praecedendi ex consuetudine et vnu solo acquiri posse, contendit: „Etenim, inquiens, certum est, iure originario nullam gentem alteri debere praecedentiam, illam vero, quam „hodie obseruari attendimus, ex solo vnu atque longaeva „possessione originem traxisse. Cum his conueniunt omnes, qui praescriptionem ^{h)} inter gentes locum habere, affirmant.

^{a)} in diat. de iure praecedentiae part. I. Cap. VII. §. II. quae extat in eius oper. iurid. minor. pag. CXL.

^{e)} in diff. de praecedentia, quam inuenies in eius Exercitat. curiosis.

^{f)} in diff. de iure praecedentiae in genere Argentorati 1671.

^{g)} in diff. de fundamento decidendi controuersias de praecedentia inter liberas gentes Lipsiae 1721.

^{b)} B. GROTI. de I. B. et P. lib. II. Cap. IV. FVFFENDORF. in iure Nat. et Gent. libr. IV, Cap. XII.

§. III.

Ab hac sententia omnes discedant in aliam, necesse est, qui nulla ratione praescriptionem inter gentes et ius ex possessione diurna fieri posse, arbitrantur. Inter quos in primis referendus est perillustris SAMVEL DE COCCEIVS, ⁱ⁾ qui GROTI doctrinam de praescriptione inter gentes est explosurus ex hac potissimum ratione, quia iniquum iudicandum foret, si homines meam rem, quam per longissimum tempus possederunt, me inuitio, iure retinere possent,

III



ratus, iniuriam non tolli tempore, sed tempus eam augere.
Huic consensum, vt inter omnes constat, non pauci ho-
diernorum praebent philosophorum.

i) in Grotio illustrato Tom. I. Lib. II. Cap. III. p. 120. conf. IO. ERNEST.
GYNNER. dissent in qua demonstratur, praescriptionem non esse iuris
naturalis lenac. 1749.

§. III.

Si animo argumenta ab vtraque parte allata considero,
ea non leuiora esse, nec plane aliena a vero, animaduerto.
Quocirca neque GROTI, neque COCETI, sententia penitus
est extirpanda, praeципue si sensum argumentorum perpen-
das. Id quod quadem ratione ostendere conabor in hac
tractatione, in qua potissimum mens mea eo redit, ut primum
exponam ius praecedendi inter gentes; deinde, illud niti,
contendam, in iure gentium voluntario; cuius existentiam
defendo; tandem, quomodo ex hoc iure gentium voluntario
deduci possit, commonstrem.

§. V.

Ius praecedendi, quod ab aliis nominatur praeceden-
tia, praeeminentia, praerogativa sessionis, graecis πρετορί-
α, προσέξια, est, si verbum explicandum, ius, quo aliquis,
si simul alios respicias, occupare potest priorem locum.
Quare *ius praecedendi inter gentes* est ius, quo alteri gen-
ti prae altera locus nobilior seu honoratior competit.

SCHOL. I. Praecedentia in naturalem et non naturalem
ab eruditis diuiditur. Naturalis est, si alicui ob perfe-
ctiones morales et officia erga nos praefixa maior pietas
cultusque obseruantiae est praebendus quam aliis. Hoc
pacto merito parentes semper praecedunt filios, et, qui in
nos cumulum beneficiorum contulit, maiora animi gratissimi
significatione prosequendus est, quam alii, quorum merita in
nos sunt minora. Praecedentia non naturalis non semper
ex meritis nobis vel reipublicae praestitis originem trahit.
Hoc



Hoc loco de naturali praecedentia nobis non est sermo.
cf. PUFFENDORF. diss. de existimatione.

SCHOL. II. Locum neque a sinistra neque a dextra parte appellamus honoratiorem. Quae enim prior sedes seu nobilior sit, ex arbitrio et opinione hominum dijudicandum est. Quam ob causam dignior locus ex iudicio hominum vario modo determinari potest. Quaedam nationes locum a parte dextra omnibus anteponunt, vt ea consuetudo haeret populo Germanico. Turcis vero alia sedet opinio, quippe qui cuncti a laeva maximum tribuunt honorem, quam ambulanti a dextra. Si petis rationem, cur eam sententiam sequantur, tantam dignitatem adscribunt ex testimonio scriptorum rerum gestarum ideo lateri sinistro, quia sinistrum ex opinione huius nationis gladius cohonestat latus. Conf. LIMNAEI ius publ. Imper. Rom. Germ. Tom. II. lib. IV. cap. IX. CRVSIVS in Tract. de iure praeminent. p. 29. Interdum quoque medius honoratior habetur aliis locis, quam opinionem et Germani fauere solent. IESSEN. I. c. p. VI. thes. I. seqq.

§. VI.

Si plures homines obligantur sub communi imperio ad securitatem obtinendam, oritur *civitas* seu *res publica*. In quantum civitatem cogitamus, nemo in eam iure quodam perfecto praeditus est, ideoque non ratione imperii ab alio, qui non est in hac ipsa civitate, dependet. Ea civitas, quae ratione imperii ab altera non dependet, nomine gentis venit.

SCHOL. Ad notionem gentis requirimus, primum ut sit civitas. Complexu igitur hominum, qui non est civitas, non tantus honor a gentibus habetur, quam aliis gentibus: deinde ut ea non dependeat ratione imperii ab alio extra civitatem existente. Eo consilio solummodo characterem ratione imperii definitioni gentis adiunximus, quoniam ex-



peri sumus, ab aliis alias occurri, ratis, ciuitatem, et si quadam ratione dependeat ab alia interneniente pacto, appellari tamen gentem. At non nego, eam determinationem sine periculo veritatis, excepta peripicuitate, me omittere potuisse, cum mos loquendi vocabulo *dependentiae* relato ad populum attribuit eam significationem, ut semper *nexus imperii* contineat.

S. VII.

Gentes, si solum ad se inuicem relatae considerentur, habent eadem iura mutua. Iura vel sunt naturalia vel positiva. Si iura naturalia animo contemplaris, sunt eadem. Cum enim gentes eamdem habent notionem, seu naturam, in eas quoque eadem consuetaria ideoque eadem iura cadunt. Iura vero, quae ex notione rerum sequuntur, sunt naturalia. Hinc non est dubium, quin iisdem ornatae sint gentes iuribus naturalibus. Eadem ratione hanc difficile est probatu, has gentes, si quaedam in iis ponenda sint, habere eadem iura positiva, seu nulli genti fortius ius competere, quam alteri. Positiva enim iura sunt, quae a voluntate cuiusdam dependent. Si igitur alteri genti relatae ad alteram ius positivum diuersum seu potius competit quam alteri, aut ratio esse debet in voluntate imperantis, aut secus. Si prius intueraris, id fieri nequit, quia gens non dependent ab altera ratione imperii (§. antec.). Si posterius contemplaris, sequeretur, ut gens genti plus iuris dederit, quam accepit. At id cogitari nequit ob illud, quod assumptum est, cum gentes in se spectatae suum iactare non videantur. Quam ob causam non adest ratio, cur gentibus ad se inuicem solum relatis diuersa adscribamus iura. Gentes igitur, quatenus supra dicto modo considerantur, habent eadem iura.

COROL. Praedicatum igitur gentium est naturale nemini gentium maius ius competere quam alteri. (§. antec.)

SCHOL.



SCHOL. Haec non eo fine a me proposita sunt, vt, omnes gentes eadem iura ciuilia suis ciuibus dedisse, arbitrari vide-remur, sed animus solum est commonstrare, 'nullam adse rationem, cur credamus, gentem, si eam ad aliam gentem referamus, maioribus iuribus praeditam esse, quam possidet gens altera.' Me enim non fugit, fieri posse, vt gens aliqua genti plura iura concedere possit, quam accipiat.

§. VIII.

Complexus iurium, quae genti in relatione ad gentem competunt, appellatur *ius gentium*. Haec iura aut ex indole et natura, qua gens ad alteram gentem refertur, sequuntur, aut secus: Si prius, efficiunt *ius gentium primarium*, ab aliis *uniuersale dictum*; si posterius, *ius gentium voluntarium*, *particulare seu secundarium*.

SCHOL. Iuris gentium varia et multiplex est significatio. Modo, vti loquuntur, subiectiue, modo obiectiue sumitur. Si prius, denotat scientiam de iis, quae iusta et iniusta sunt inter homines; si posterius modo pro legibus ciuibus, modo complexu legum naturalium, quatenus homines in statu societas considerantur. Hae significaciones iuris gentium hic mittuntur. conf. III. DARJES philosophi summi et magni nominis Observat. iur. nat. social. et gentium p. I. obs. IV. §. III. seqq.

§. IX.

Probaturo, ius praecedendi inter gentes ex iure gentium voluntario deducendum esse, non minori impetu resi- fit opinio eorum, qui plane, ius gentium secundarium co-gitari posse, negant. Ne vero iuperfluum molitus esse opus videar, factio iure voluntario, inquiram primum in illo-rum argumenta. A partibus dissentientium stant inter alias de re publica litteraria mirifice meriti viri de COCCEIVS et de LEYSER.

§. X.



Hic excellens amplificator iurisprudentiae de LEYSER^{k)}, qui non verbis VLPIANI, PAVLI et aliorum huius generis sed sensu legis haeret, ius gentium non solum voluntarium sed et primarium in dubium vocat. „Nullum est, inquit, ius gentium, quod a iure naturae vere diversum sit. Videlicet vniuersale aliquod gentium ius praeter ius naturae non dari, appareat primum ex eo, quod inter gentes nullus sit superior, sine quo tamen ius nullum esse poterit: deinde, quod moratores gentes nullum sibi in reliquias imperium, nullamque legislatoriam potestatem asserere queant, quod incertum maxime sit, quaenam gentes sint moratores, cum singulæ sibi hanc dignitatem attribuant, atque verosimile videatur, gentes Asiaticas et Americanas elegantia et honestate morum nec non prouida reipublicae administratione Europeas, si non superare, certe aequare. Respondendum etiam est, sed parvis ad eorum argumenta, qui particulare sibi aliquod gentium ius, quod non quidem ad omnes, sed ad multis gentes pertinere fingunt. Fateor quidem, posse plures gentes partum, aliquod inter se seu expressum seu tacitum inire. At hoc ius non erit, si proprie vocem iuris accipias, sed pactum quod ex regula ista iuris naturae, omnia pacta honesta seruanda sunt, firmitatem suam accipiet. Ius enim proprie dictum esse nequit, nisi inter eos, qui vinculo aliquo continentur et in peculiarem societatem seu collegium coierunt. Sed fac tamen posse plures gentes inter se ius aliquod peculiare facere, necesse profecto erit, nisi vocem iuris nimis late extendere velis, ut non duae vel tres in id consenserint, sed magna gentium pars, veluti Europeae omnes, id sibi ius constituerint. Sic vero exempla deficiant.

^{k)} in medit. ad pand. spec. III. med. II.



§. XI.

Cum his verbis hic praestantissimus ICtus non minus ius gentium primarium, quam voluntarium in dubitationem adducat, ad vtrumque a me respondendum esse, censeo. Quod ad ius gentium primarium, de cuius existentia ambigit, suam sententiam potissimum tribus confirmaturus est argumentis. Primum argumentum, quo negat ius gentium primarium, est, quia inter gentes non est superior. At hanc rationem in medium productam non sufficere ad ipsius sententiam tuendam, ex eo patet, quia alias quoque ab eo ius naturae in atheis negandum foret, quod veritati quam maxime repugnaret. Etsi enim quis tanta temeritate ac inconsiderantia ducatur, vt Deum neget, iuris tamen naturae, quod non nobis opinio, sed vis quadam innata assert¹⁾, tenetur vinculo, cum nihil aliud praecipiat, quam quod ratio iustum iniustumque ex rerum notionibus pronuntiat. Deinde ne ipse quidem in aliis locis negat, ius fieri posse sine superiore. Adscribit enim pactis perfectam obligationem ideoque veram iuris virtutem. Nonne vero pacta inter aequales iniri possunt? Et si ineuntur, quis eorum est superior?

D. cic. de inn. II, 22.

§. XII.

Secundi argumenti, quo existentiam iuris gentium primarii destructurus est, vim et potestatem his verbis exprimit: si moratores gentes in reliquas nullum sibi imperium, nullamque legislatoriam potestatem asserere queant, sequitur, vt non existat ius gentium primarium a iure naturae diuersum. Vtrumque habet verum. Sed quis nostrum, qui solum obliquo consideret oculo, non confessum merito pernegat, sumto illo antecedente largiendum ei esse con-

B

sequens,



sequens, seu, ut sequamur artis diale^ticae peritos, qui non iure dubitet de vero nexus inter antecedens et consequens? Possunt enim iura sequi ex relatione gentis ad gentem, earumque notione, quae differunt a iure naturae, cum id iura suppeditat in sensu restricto hominum, quatenus non ut gentes spectantur. Ex diuersis notionibus sequuntur diuerla iura. Cum igitur aliae sint notiones in iure gentium primarii, quam in iure naturae, illud quoque diuera amplecti iura, facile est perspectu. cf. ILL. DARIES, l.c. §. XII. seqq.

§. XIII.

Tertium argumentum, quo debilitare conatur illustris Auctor existentiam iuris gentium primarii, prope modum est eiusdem indolis, ac ea, quae excussum. Vis illius his absolutitur verbis; incertum est, quaenam gentes sunt moratores, ideoque non est ius gentium primarium. At vix opus est repetitu, hoc argumentum eodem vicio premi, ac id, quod praecedit. Deest enim nexus necessarius inter antecedens et consequens. Huic accedit, quod id, quod sumtum est, seu antecedens recte negemus. Vitiumne deest argumentandi ei, qui ita concludit: Non omnes homines sunt moratores, ideoque inter eos non sunt iura? Hoc pacto pauciores hominum obligarentur iure naturae, quia plurimi non sunt moratores. At ius naturae abunde, quid iustum, iniustum, honestumque sit, explicat, ideoque haut difficile commonstrata est, quae sint vere moratae et constitutae gentes. Et profecto male actum esset de scientia morum, si definiri non posset, qui sunt moribus commodis?

§. XIV.

Altera propositio, de qua illustris de LEYSER animo haeret, est haec, non existit ius gentium voluntarium.
Pene-



Penetrandum est in eius argumenta, quibus id est confirmatur. Ea sunt varii generis et eiusmodi, ut mireris, tantum virum, cuius merita in ius naturae et iurisprudentiam pia mente colo, iis vsum esse, cum ex mea sententia vix ullam vim prodere possint probandi. En primum argumentum, quo initiatitur ius gentium particulare! Quicquid ex pacto expresso aut tacito profiscitur, non est ius, si vocem propriam iuris accipias. Atqui ius gentium particulare oritur ex pacto expresso aut tacito, ideoque non est ius. Quod ad maiorem propositionem, quam quisque, non plane expers iuris naturae, negat, ex eo probaturus videtur, quod id, quod ex pacto sit, est pactum. At haec ratio recte vilipenditur. Aliud enim est pactum, aliud, quod ex pacto oritur. Causa, et id cuius est causa, semper a se inuicem distant. Nonne si pactum ineo, vt aliquis meum hortum reficiendum curet, pactum differt a iure ex eo postulandi, vt implementum accedat?

§. XV.

Hoc excipit secundum argumentum, quo ius gentium voluntarium esse negatur. Si regula, pacta sunt seruanda, firmitatem suam ex iure naturae accipit, sequitur, vt ius gentium particulare non sit ius separatum a iure naturae. Sed verum est antecedens, ergo etiam consequens. At merito nexum, seu vii loqui solent, consequiam, negamus. Et hoc est princeps argumentum, quod plerique opponunt existentiae iuris gentium voluntarii; illiusque amore quasi capti sunt. Si vero quae reuera sciuncta sunt, discernerent, non hoc laborarent vitio communi. Observatio equidem factorum est iuris naturalis, at ex eo non recte sit conclusio, omne ius ex pacto acquisitum esse iuris naturalis. Finge, ciuem pacto principi cuidam, qui ius Romanum recepit, se sub-



ieciſſe, obligatus quoque eſt ad ſeptem testes in confiſiendo valido teſtamento priuato adhibendos. Hoc ius agnoscere debet ex pacto, at nemo noſtrum, illud eſſe ex iure na- turae, ſeria mente affirmabit. Ex iure enim naturali id ſolum enatūm dicitur, quod ex rerum notionib⁹ colligi potest. Quicqnid igitur non ex rei notione, ſed ex alia re cognociendum, non ad ius naturae eſt referendum. Praeclare hac de re ſunt dicta ILL. ADAM. FRID. GLA- FEY m). Wir müſſen unter dem materiali et formali eines pacti einen unterscheid machen. Das lezte iſt die obligation, welche einem paſto das eſſe giebt, ienes aber iſt der inhalt ei- nes pacti, welche, aus einem arbitrio und vergleich berüb- ren, und der Vernunft unbewußt feyn kan, z.e. der westphaeliſche Friedensschluz iſt ein paſtum, ſo von denen meiſten Europei- ſchen Voelkern unter ſich errichtet worden, und ex iure na- turae ſeine verbindlichkeit hat, wenn aber iemand fa- gen wolte, daß der inhalt fothaben Friedens iuris naturae fey, derſelbe würde wenig Beſſelfinden, auch den beweis mochl- ſchuldig bleiben müſſen. Gleichgeſtaſt haben die bürgerlichen Geſetze, welche v. g. ein princeps in einer Republique giebt, am ende ihre Obligation aus dem iure naturae oder iure publi- co vniuersali, welches denen Unterthanen dem Geſetz zu ge- borsamen befieblet, wer wolte aber deswegen ſagen, daß ein ſolches ius ciuile einer republique ad ius naturae geboere. Wann dann nun die Gewohnheiten und Braeuche der Voelker ſolche Sachen, welche aus der Vernunft nicht moegen determini- niret werden, in ſich enthalten, ob ſie gleich als pacta tacita ihre Verbindlichkeit ex iurae naturae empfungen, ſo findt der Schluß ganz natürliche, daß Gott zwar der Oberberr hier- bey fey, und die Obligation darzu bergebe, mitin das for- male iuris gentium ex iure naturali, das materiale aber aus dem arbitrio derer Voelker ſich berſchreibe, und daß für in ſorweit iuris humani fey. Wiewobl ich demienigen, welcher dieses ius der Obligation halber lieber ad ius diuinum gerech- net wiſſen will, nicht eben zuwieder feyn werde, wann er nur zugiebt,



XIII

zugeht, daß die materialia iuris gentium, oder der Inhalt derselben aus der Vernunft nicht gefolgert und erkannt werden kan.

w) im Rechte der Vernunft cap. I. §. 318. seq. pag. 198.

§. XVI.

Tertium argumentum, quo illustris de LEYSER impugnat ius gentium voluntarium, huius est tenoris. Si ius proprio dictum esse nequit, nisi inter eos qui vinculo aliquo continentur et in peculiarem societatem seu collegium coierunt, sequitur, ut non sit ius gentium voluntarium &c. Etsi non nihil ratione consequentiae moneri posset, in praesenti tamen antecedentem insitiam propositionem. Si enim haec enunciatio niteretur in verò, ius me alendi, si me ab omni vinculo cum aliis intuerer feiunatum, non numero iurium adscribendum esset; id quod nemo sine specie statuet ioci.

§. XVII.

Tandem de existentia iuris gentium voluntarii ob id animo ambigit, quia non exempla extant illius iuris. Longiore refutatione huius argumenti supersedeo, partim, quia ab eo, quod exercitium seu exemplum iuris non sit, ad iuris ipsius absentiam concludere non fas est, partim, quia laudatus GLAFEX n) haut exiguum exemplorum numerum, ex quibus ius gentium voluntarium est in aprico, recentet, ac infra, ius praecedendi inter gentes nisi in iure voluntario gentium, sum probaturus.

n) L c. §. 329. seqq. cf. ILL. MOSER *Aufangsgründe der Wissenschaft von der heutigen Staatsverfassung von Europa und dem unter denen Europaeischen Völkern üblichen Volkerrecht. EIVSDEM Grundsätze des Europaeischen Volkerrechts in Kriegszeiten.* Tübing. 1752.

B 3

§. XVIII.



§. XVIII.

Non minori cura et studio ius gentium primarium et voluntarium oppugnat PERILLVSTR. SAM. DE COCEIVS o) his verbis: Si ex consensu gentium ius aliquid existit necessario supponendum est omnes gentes conuenisse et ius aliquod constituisse. Quis vero sanae mentis sibi vel aliis persuadebit, humanum genus vniquam conuenisse vel commune concilium indixisse? Sed et, si conuenisset, vnde probabitur, quaeam sint illa iura, vnde probabitur, iura illa, quae ad secundarium ius gentium referri solent, eo pertinere? Certissimum igitur est non dari ius gentium, nisi quod ratio naturalis inter gentes constituit: adeoque cui gentes obligantur etiam iniuitae. Denique fausta Doctores ad ius gentium secundarium configunt, quia pleraque iura, quae eo referri solent, ex ratione naturali adeo sequuntur, ut non opus sit ad fictum aliquem consensum fugere.

o) in Grot. illustr. ad §. 17. Perleg. lit. c.

§. XIX.

Si argumenta PERILL. DE COCEII perpendimus, eius sententia a vero non videtur aliena. Sic non cogitari potest ius gentium vniuersale et particulare? Res adhuc est integra. Considerantibus enim ius gentium (§. VIII.) expolitum, complectitur complexum iurium ex natura gentium ad se relatarum ortorum. Ex mente vero perillistris de COCEII ius gentium vniuersale est id, quod consensu omnium gentium est introductum et assensione GROTTI comprobatum videtur. Quibus perspectis, assentimur lubenter commentatori praefantissimo, sine ratione fangi ius gentium posituum vniuersale. Cum vero vir perillistris omne ius gentium primarium a iure natu-

naturae sciuntur negare videtur, res ambigua et
anceps ita optime dirimitur. Ius naturae aut latius aut
strictius sumitur, quatenus scilicet ex notionibus docet,
quid sit iustum iniustumque, si homines ad se inuicem
referantur. Si prius, ius gentium primarium ad ius
naturae pertinere, concedimus: Si vero posterius intue-
aris, ius illud a iure naturae distinctum esse, contendi-
mus (coll. §. XII.).

§. XX.

Quanquam ratione quadam conuenio cum viro per-
illustri quo ad sententiam de iure gentium primario, non
possum non in alium discedere sententiam, si sermo tan-
git ius gentium voluntarium. At cum rationes (§. XVIII.)
allatae, quibus impugnatur ius gentium secundarium,
non differant a dubio, ad quod (§. XV.) respondimus,
eandem ad hanc quaestionem nobis contrariam quadrare
responsionem arbitramur.

§. XXI.

Gentes secundum ius primarium eadem habent iura.
In iure enim gentium primario gentes considerandae sunt,
quatenus altera ad alteram refertur (§. VIII.). Gentes
ad se inuicem relatae habent eadem seu aequalia iura
(§. VII.). Ex quibus constat, gentes ex iure gentium
iisdem stipatas esse iuribus.

§. XXII.

*Ius praecedendi inter gentes non colligitur ex iure gen-
tium primario.* In iure enim gentium primario gentes
iisdem gaudent iuribus (§. antec.) Si vero gens iure
praedita est, ut genti cuidam quadam ratione sit praefe-
renda,

XVI



renda, hae gentes non habent eadem iura. Ius praecedendi inter gentes consistit in iure praeeundi alteri genti (§. V.). Quam ob causam ius praecedendi inter gentes non determinatur iure gentium primario.

§. XXIII.

Ius gentium voluntarium est fundamentum iuris praecedendi inter gentes. Ius enim praecedendi inter gentes est ius gentium (§. V.). Quicquid est ius gentium, at non nimirum in iure gentium primario, in iure gentium voluntario sit fundatum, necesse est (§. VIII.). Ius vero praecedendi inter gentes non determinatur ex iure gentium primario (§. antec.). Ex quo efficitur, ut ius gentium voluntarium sit fundamentum iuris praecedendi inter gentes.

§. XXIV.

Ius gentium voluntarium continet iura, quae non ex notione gentis ad gentem relatae, sed ex factis proficiuntur (§. VIII.). Facta, ex quibus alter in alterum iura exercere potest, vel sunt pacta, vel non: hic relaturi sumus possessionem. Illa dividuntur in expressa et tacita. *Hæc* in possessionem immemoriam, et non immemoriam. Quibus distinctis, accuratori definiti potest modo, unde ius praecedendi gentium deduci queat.

§. XXV.

Non est dubium, quin gens genti ius praecedendi pacto concedere possit. Ius enim praecedendi est prædicatum gentium naturale (cor. S. VII.). Gentis igitur indoles ac notio non mutatur, et si quaeram gens careat praerogativa praecedendi. Cum vero omne quod no-

strum,

strum, et a nobis abesse potest, alii attribuere possumus, exploratum habemus, gentem genti ope pacti cedere posse ius praecedendi.

SCHOL. Nec raro fieri solet, ut gentes de iure praecedendi conueniant pactis, eo consilio, ut in conuentibus publicis nulla oriatur contentio, quae saepenumero res maximi momenti perractandas reddit irritas. Quamquam vero non semper omne ius praecedendi alteri relinquunt, sed visitati diuidunt honores, certe tamen apparet, mutationem ratione praecedendi a gentibus fieri posse.

§. XXVI.

Ex actibus saepius editis, de quibus alter sciens, nec iuste impeditus, filet, alteri ius oriri potest. Ea est natura hominum ac indoles, ut studio ad nostram augendam utilitatem et damna vitanda feramur. Is igitur, in cuius damnum aliquid fit, nec, cum possit, huic facto contradicit, non diligenter probabiliter habetur. Quare aut est indifferens, aut consentit in id, quod fit. At prius non est presumendum, quia natura nostra mala sibi imminentia remouere conatur. Hinc, sequuturi verisimilitudinem, in his positis rebus circumstantibus probabili ratione, consensum adesse, concedere debemus. Ex consensu alterius ius oriri potest. Quapropter non vero repugnat, quin ex actibus repetitis, de quibus alter sciens, nec iuste impeditus, filet, alteri ius oriri possit.

COR. Cum consensus, qui factus a verbis distinctis declaratus est, appelletur tacitus, inter omnes constat, et ex eo ius oriri posse. cf. ILL. IO. IVST. SCHIERSCHMIDII Elem. iur. nat. soc. et gent. c. III. §. 387. Schol. I.

C

§. XXVII.

XVIII



§. XXVII.

Ius tacito consensu introductum, seu vii alii loqui solent, tacito pacto ortum, nomine *consuetudinis* est insignitum. Quare concinne Imperator **IVSTINIANVS** usum seu consuetudinem dicit mores consensu uterius *comprobatos*.

§. XI. I. de iure nat. gent. et ciu.

§. XXVIII.

Ex consuetudine praerogatiuae loci gentium peti potest ius praecedendi inter gentes. Consuetudo enim nititur in consensu tacito (§. antec.). Ex actibus vero repetitis, agnitis nec impugnatis colligitur consensus tacitus (cor. §. XXVI.). Si igitur gens quaedam saepe et repetitis vicibus locum occupauit nobiliorem, nec altera gens positis illis rebus circumstantibus contradixit, illa iuste praecedit (§. cit. XXVI. et §. VII.). Quare ex consuetudine praecedendi recte petitur ius praecedendi inter gentes.

SCHOL. Finge, gentem quandam plus una vice in conuentibus publicis aliam gentem praecessisse, sine illa interposita contradictione, illa gens merito sibi adscribere potest ius praecedendi. Si igitur hac ratione ius praecedendi **AVGVSTISSIMI IMPERATORIS** Imperii Romani Germanici alios reges Europae expositurus es, cum dictis conuenit principiis.

§. XXVIII.

Possesso, si late eam spectes, consistit in exercitio aliquius rei. Haec possessio vel est eiusmodi, ut non extet memoria possessionis alterius, seu ignoretur, ex qua causa praesens possessor eiusque antecessores rem acquisuerint, ita,



ita, ut et alius lateat possessor, vel non. Si prius, dicitur *possessio immemorialis*, si posterius animo perpendis, *nuda possessio*.

COROL. Is alterum laedit, qui alterum turbat in eo, quod habet. Quapropter qui possessionem immemorialem aliquius rei continuat, neminem laedit.

§. XXX.

Possessio nuda nobilioris loci non efficit ius praecedendi inter gentes. Inter aequales nullum ius alteri competit maius in alterum quam alterius consensu. Si enim id fieret, alter alterum laederet. Gentes sunt sibi aequales (§. VII.). Quapropter genti nullum ius maius competit quam alteri, nisi consensu alterius. Sola possessio rei alienae non inuoluit consensum alterius, ideoque sola possessio nobilioris loci non est causa sufficiens iuris praecedendi inter gentes.

SCHOL. Non nego, possessionem praeumptionem dare iuris, at eam vix concedere audeo, possessione sola considerata sine aliis concurrentibus rebus, alias enim fur rem oblatam, at adhuc possessionam iure praeditus esset eam possidenti, id quod bonis repugnat moribus. Quodsi vero aliquis rem possidet, et dubium est, cui praeter possessorum fortius competit ius, omnino possessor iuste possidere dicendus est.

§. XXXI.

Possessio immemorialis loci potioris dat ius praecedendi inter gentes. Qui enim agendo laedit neminem, iure agendi est praeditus. Qui vero possessionem immemorialem aliquius rei continuat, neminem laedit (Cor. §. XXVIII.). Si igitur gens quadam nititur in possessione immemoriali praecedendi alias, in ea exercenda neminem laedit.

C 2

Quam



Quam ob causam conclusione ratione conficitur, ex possessione immemoriali loci potioris ius praecedendi inter gentes esse colligendum,

§. XXXII.

Inter eos, qui et alias causas praeter dictas inter gentes enarrant, sunt referendi, qui antiquitatem et praecriptionem fundamentum habent iuris praecedendi. Quod ad illam quaestione, scilicet antiquitas sit iusta causa praecedendi inter gentes? ita respondeo. Antiquitas gentis aut est euicta omnisque dubii expers, aut secus. Si hoc, non agnosco fundamentum praecedendi, quoniam reuera gens hoc pacto nulla praerogativa antiquae nobilitatis alteram supererat. Sicuti vero omnium rerum fere obscura origo, ita quoque regnorum. Si illud expendis, aut possessio immemorialis est cum antiquitate gentis conexa, aut minus. Si posterius luctus animo, hanc esse causam sufficientem praecedendi, eo insitis. Si enim sola antiquitas ius praecedendi efficiat, quisque, antiquior regia gente, et si ne particulam terrae et maiestatis possideret, regibus esset praefferendus. At non minus hoc, quam illud negandum esse, duco: si prius spectas, ceu fundamentum iuris praecedendi habeo (§. antec.).

§. XXXIII.

Peruenimus ad hanc quaestione illumniorem, iusne praecedendi inter gentes ex praescriptione peti possit? q) En meam hac de re sententiam! *Praescriptio* est acquisitionis iuris ex diuturna possessione, et hac ratione eam non consideramus secundum ea, quae ius ciuale ei ex arbitrio statuit solemnia, sed generatim et vniuersale. *Haec* vel est eiusmodi, ut acquisitionis iuris ideoque amissionis respectu alterius constet memoria, vel non. Si posterius respicis, dici-

dicitur *praescriptio immemorialis*; si prius, *praescriptio non immemorialis*. Quae situr igitur, an *praescriptio ratione iuris praecedendi inter gentes habeat locum, aut sermo est de praescriptione immemoriali, aut secus.* Si hanc intellegis, nego *praescriptionem esse causam iuris praecedendi inter gentes*, cum possesso sola non det ius (§. XXX.), nisi in iure ciuili ex legibus a principe latis; id quod egregie exposuit **VIR CONSULTISS. CHRIST. NICOL. CARSTENS** r). Si vero intuearis *praescriptionem immemorialem*, ex ea ius *praecedendi inter gentes*, oriri non nego, (§. XXXI.), sequutus non sine rationibus **PERILL. HENR. DE COCCIVM** r).

SCHOL. Me in definitione *praescriptionis immemorialis* data non recessisse ab ysu loquendi, illius ICti, quem res publica litteraria et in filio illustri iustissimis tollit laudibus, comprobare fas est, scil. **IVST. HENING. BOEHMERI** verbis in *Introd. in ius Digestor.* v. 28. p. 377. Pertinet huc quoque immemorialis *praescriptio*, cuius initii non extat memoria, adeoque frustra de mala fide hic queritur, quia, vbi de hac constat, adest initii memoria.

q) conf. **VL RIC. HVBER.** Tr. de iur. ciuitat. lib. II. Sect. V. c. V.

r) in *commentatione iuris publici de praescriptione inter gentes locum non habente.*

s) in *GROT. illustr. ad §. I. Lib. II. c. IV.*

§. XXXIV.

Huic patri contradicit perillustris filius **SAMVEL de COCCIVS** t), ratus, omnem *praescriptionem inter gentes plane exulare*, ideoque ex ea ius *praecedendi inter gentes*

C 3 deduci



deduci non posse, at, nisi fallor, non secundo cumentu,
 Ne patri in damnum filii fauere videar, huius verba ipse
 animo inquiras, velim. „Ego, inquit, praescriptionem im-
 „memorialem, eti praesentis possessionis memoria nulla
 „extet, natura cognitam non esse, nec inter principes alle-
 „gari posse, statuo: si proinde quis rem aliquam familiae
 „meae iniuria olim creptam per plurima secula possidet,
 „rem illam eriam a tertio possessore vindicare possum.
 „Regula enim naturalis est, iniuriam tempore non minui
 „sed augeri, et rem nostram sine facto nostro non definire
 „nostram esse. Ius igitur antiqui dominii semper saluum
 „est: de eo enim iure certe constat. Haec igitur non tan-
 „tum vera sunt de re per iniuriam olim mibi creptam, sed
 „et si ius aliquod a tertio possidetur.

s) l. c. pag. CCCCCX.

§. XXXV.

Perquirenti mente rationes, quibus illustris auctor
 negaturus est, inter gentes non locum habere praescriptionio-
 nem immemorialem, tantum abest, ut discedam a mea sen-
 tientia, vt potius ea impugnata confirmari videatur. In
 dubium enim vocat ius acquisitum ex possessione immemo-
 riali ideo, quia, si res aliena est acquisita sine iure, iniuria
 rei inhaeret, quae tempore tolli nequivit, eti immemoriale
 praeterlapsum sit tempus, Cui accedit, quod alter rem
 suam seu ius reuocare possit. At quis non e vestigio
 animaduertitur, illudicatum loqui de ea possessione
 rei, cuius prior dominus seu possessor legitimus definiri
 potest? Potest vero ea possessio illius rei, cuius verus do-
 minus seu possessor non ignoratur, appellari praescriptione
 immemorialis? Nonne ad hanc praescriptionem requiritur,
 vt memoria non extet eius, ad quem res praeter praefen-
 tem

tem possessorem spectat (§. XXXII.), seu ut ius alterius nostram effugiat notitiam? Ex quibus perspicuum est, his in medium allatis argumentis, sententiam, qua gentes ex prescriptione immemoriali ius praecedendi consequi possunt, non esse fractam.

ZYTHIUM. §. XXXVI. 13 ZYTHIUM.

Sunt et aliae causae, ex quibus alii fundamentum iuris praecedendi probaturi sunt, at ita comparatae, ut partim a viris eruditissimis explosae, ^{u)} partim vix refutatione quadam dignae sint, cum primo intuitu per se dilabantur. Quam ob causam silentio praetereo quaestiones, utrum ius hoc praecedendi genti ob diuitias, ob potentiam in dies auctam, ex iure ciuili, an ex iure canonico tribuendum sit? In praesenti solum, ius praecedendi inter gentes ex iure gentium colligi posse voluntario, commonstrasse sufficiat.

^{u)} HOFFMANN. I. c. cap. II. §. IV. pag. 15. seqq.



GENE-



GENEROSISSIMO DOCTISSIMO QVE
EXIMIAE HVIVS
DISSERTATIONIS DEFENDENTI
FAVTORI SVO AETATEM SVSPICIENDO

S. P. D.

IOANNES STEPHANVS MÜLLERVS
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET DIVINIORIS SCIENTIAE
CANDIDATVS

SERENISS. SCHWARZBURG. PRINCIPIS RUDOLSTAD. IN SENATE
SACRO ADSESSOR ET AMPLISSIM. PHILOSOPHOR. ORDINI
IN ACADEM. IENENSI ADIVNCTVS.

Quo cr̄ebrius adhuc infidiosae litterarum dignitati et quaestuo-
fae illae voces audiuntur, sellulariae adeo artis et opificum
quasi in umbras descendere, quisquis demum splendide natus
felicitus iisque aeriusque immoretur: eo opportunis Tvo nunc,
GENEROSISSIME VIR, exemplo gloriari licet, quod indubio
plane nobilitatis auctoramento severiores cum liberalibus discipli-
nas egregie sectatus, perfectissimum vtriusque specimen denuo
exhibes, magnoque per omnia animo collectos sapientiae fructus in
lucem velut adpedumque profers. Facit haec illustrissimarum
virtutum comes, scientiae TVAE amplitudo, ut TIRI non magis,
ac saeculo huic nostro, ipsique demum posteritati gratulandum
de TE ducam, me vero beatissimum praedicem, quod, honorificam
adeo et inuidendam plane occasionem mihi sentio, proposi-
tam, qua insolitas ingenii TVI dotes nosse proprius admirarique
continget. Age itaque, VIR GENEROSISSIME, et ad summa
dignitatum fastigia breui delatus, tum literas ipsas, tum litterarum
amarores ornare perge, meque, si publicis priuata par est vota
addere, benevolentiae TVAE fauorique habe commendatissimum.

Vale. Deproperab. Ienae XXIII. Dec. A. P. V. P. •

CICICLAVIA,

VIRO

VIRO

GENEROSISSIMO AC CONSULTISSIMO
BOTHO. CHRISTOPH. DE DEWITZ
 SVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO
 FAVTORI OMNI PIETATE COLENDO

S. D. F.

ERRAESSES

Profecto non iis es adscribendus, quos solus splendor illustris
 prosapia exornat, quique se de innatis extollunt insignibus,
 non a se, sed a maioribus virtute et fortitudine acquisitus: profecto
 non minus TE, VIR GENEROSISSIME AC CONSULTISSI-
 ME, nobilitas generis antiqui aliis hominibus imaginibus virtutum
 conspicuis reddit potiorem, quam vis ingenii summa, virtus, et
 egregia literarum cultura TIBI illustriores parat praerogatiwas.
 Non contentus tantis virtutum insignibus, quibus gens TVA illistris
 fulget, adis ipse templum honoris. Non contentus stirpe aucta et
 antiqua, animi magnitudine petis maiora et splendidissima, ad quae
 natus mihi recte videris. Inuidendam fortunam mihi mirifice ar-
 ridere, non sine ratione arbitror, cum non minus de diligentia,
 de ardore in excolandis philosophicis quam doctrinis forensibus
 testimonium edere quemad publicum. Non verbis exprimere possum
 laetitiam, qua suffusus honori mihi duco praecipuo, quod TIBI,
 VIR GENEROSISSIME, visum sit mecum adscendere cathedram
 publicam: TE enim ex arte fortissimum veneror virum. TE sae-
 pius strenuum sum expertus inter parietes priuatos veri defenso-
 rem. Videor iam videre TE, FAVOR GENEROSISSIME, eru-
 ditissime disputantem refellentemque dubia eruditissimorum viro-
 rum. Videor audire acclamations et plausus omnium eorum, qui
 egregia TVAE eruditionis animaduertunt specimina. Video de TE
 exultare patriam, ac TIBI parare summa virtutum praemia. Sum-
 mis es dignus. Summa virtus recte meretur summa virtutis
 ornamenta. Dab. Ienae d. xxiv. Decemb. A.R. S.

CICICL VIII.

D

VIRO



VIR O

GENEROSISSIMO AC DOCTISSIMO

BOTHO. CHRISTOPH. DE DEWITZ

S. D. P.

GABR. CHRISTOPH. LEMBKE Vismar.

OPPON.

Cum iurisprudentiae sine iuris naturae cognitione nulla sit potestas, eiusque cultores nunquam in arcana iurisperitiae absque aequitatis studio et scientia eorum, quae ex notionibus rerum iusta vel iniusta sunt, penetrare queant, non mirum est, cur **VIR GENEROSISSIME**, omnem adhibueris operam, ut par essem in vtraque disciplina. Nostra Salana te talem admiratur, et eo magis de te gloriatur, quo minus viri ex splendido genere nati litteris eodem feroore, a tu, **VIR GENEROSISSIME**, solitus es, se tradant omnes. Quocirca non est, cur mirandum sit, si summo quasi captus sim gaudio, quod **TIBI** placuerit mihi munus concedere opponentis. Quo verius **TVM** praeclarae eruditionis specimen cum summa defensurus es laude, eo certius ex **TVA** responsione solidissima, commodum in me redundabit maximum. **TE** noui, **TVM**que ingenium acutissimum ex priuatissimis disputationibus abunde sum expertus. Gratulor itaque **TIBI** de tanto illustris eruditionis specimine erastino die publice edendo. Gratulor **TVAE** genti illustri de tanto viro illustri. Deus te perpetua exornet salute, quo fieri, ut respublica **TVIS** virutibus splendidissimis largiatur munera summa. Dabam Ienae d. XXVII. decembr. A.R.S. CIOIOCCCLVIII.

ULB Halle
006 669 409

3



107P



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISSERTATIO

1758, 10^b LIII.

15

DE
IVRE PRAECEDEDENDI
EX IVRE GENTIVM

QVAM

SVB DIVINIS AVSPICIIS

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
ORDINE

P R A E S I D E

IOANNE NICOLAO MOECKERT

PHILOSOPHIAE MAGISTRO

ET SOCIETAT. LAT. IENENS. COLLEGA

D. XXVIII. DECEMBER. MDCCLVIII.

PVBLCAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

S V B I I C I T

BOTHO CHRISTOPHORVS
DE DEWITZ

E Q V E S M E G A P O L I T A N V S .

I ENAE
LITTERIS SCHILLIANIS.